



The Holy See

PIUS PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE

*INGRUMENTIUM MALORUM**

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS,
EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET
COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES :
DE MARIALI ROSARIO OCTOBRI PRAESERTIM MENSE PIE RECITANDO.

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ingruentium malorum oblato conspectu, numquam destitimus, ex quo Divinae Providentiae consilio ad supremam Petri Cathedram evecti fuimus, humanae familiae sortes tutissimo Deiparae patrocinio concredere, datis in hanc rem hortativis litteris, ut probe nostis, haud semel. Quibus adhortamentis Nostris quanto studio quantaque animorum alacritate atque concordia christianae gentes ubique responderint, vobis, Venerabiles Fratres, in comperto est; id sane pulcherrime significarunt praeclara religionis in augustam Caeli Reginam iterata spectacula; atque illius praesertim totius orbis declaratio laetitiae, quam Nostris oculis quodammodo contemplari contigit, cum superiore anno, innumerae multitudinis circumsepti corona, e Petriano Foro Virginem Mariam corpore et animo fuisse in Caelum evectam sollemniter pronuntiavimus.

Verumtamen si iucunda ad cogitandum ista sunt, atque firma divinae misericordiae spe Nos consolantur, non desunt profecto in praesens gravis mestitiae causae, quae paternum sollicitent et angant animum Nostrum.

Nostis siquidem tempora, Venerabiles Fratres, quae sane calamitosa sunt: fraternam Civitatum concordiam, iam diu diffractam, nondum conspicimus ubique redintegratam, sed odiis simultatibusque passim perturbari animos videmus, atque adhuc cruentarum dimicationum

pericula impendere populis; accedit saevissima illa insectationum procella, quae Ecclesiam, in non paucis terrarum orbis partibus, libertate sua destitutam, calumniis atque angustiis omne genus, ac martyrum interdum etiam effuso cruore, acerrime iamdiu divexat. Quot quantisque insidiis in iis regionibus multorum filiorum animos obnoxios conspiciamus, ut avitam fidem abiciant, atque ab unitate cum hac Apostolica Sede miserrime recedant! Nec denique tacite omnino praeterire possumus novum patratum facinus, de quo non Vos tantum, sed cunctum quoque clerum, parentes singulos, ipsosque rei publicae moderatores summo animi moerore commonere percipimus; nequissima dicimus illa impietatis molimina contra candidam puerorum innocentiam. Ne insonti quidem aetati temperatum est, cum non desint, proh dolor, qui flores ipsos decerpere temere audeant, mystico in Ecclesiae viridario religionis et civitatis spes pulcherrima succrescentes. Quae qui cogitaverit, non nimium mirabitur, si late populi divinarum animadversionum pondere ingemiscant afflicti, metuque graviorum calamitatum adeo detineantur.

Attamen tot discriminum gravitatem cogitatione complectentes, ne despondeatis animum, Venerabiles Fratres, sed illius memores divini oraculi: « Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis » (*Luc.* 11, 9), contentiore fiducia ultro ad Deiparam Virginem animo convolate, ad quam trepidis in rebus confugere christianae genti praecipuum semper ac sollemne fuit, quandoquidem ipsa « universo generi humano causa facta est salutis » (*S. IREN. Adv. haer.* III, 2 2 ; *MG VII*, 959).

Non sine ergo laeta exspectatione erectaque spe Octobrem mensem conspiciamus redeuntem, quo Christifideles, frequentiore ad sacras aedes accursu, Mariam per sanctissimi Rosarii preces exorare assolent. Preces hasce ipsas, Venerabiles Fratres, impensiore animi sollertia quam necessitates ingravescentes exposcunt, hoc anno adhiberi cupimus. Nobis enim probe perspecta est huiusmodi precationis efficacitas atque vis ad maternam Virginis opem impetrandam. Quam quidem, etsi non uno orandi modo demereri licet, Mariali tamen Rosario, prout eius origo caelestis potius quam humana eiusdemque ratio vehementer commendat, optime id fieri uberrimeque arbitramur.

Quid enim aptius, quid pulchrius floribus quibus haec mystica corona nectitur, oratione scilicet dominica angelicoque praeconio? Cum autem praecibus voce iteratis sacrorum etiam accedat mysteriorum contemplatio, saluberrime inde fit, ut omnibus, vel rudibus vel indoctis, prompta ac facilis ratio pateat ad fidem fovendam tuendamque. Ac revera, crebra eorum cogitatione animus sensim sine sensu vim insitam haurit ac combibit, ad immortalium bonorum spem mire inflammatur, atque ad ipsius Christi eiusque Matris vestigia sectanda fortiter suaviterque adducitur. Ipsa denique tot vicibus iisdem formulis iterata precatio, nedum quid sterile molestique habeat, qua mirabili contra pollet virtute, ut experiundo est, ad suadendam orantibus impetrationis fiduciam, et ad materno Mariae Cordi quasi suavem vim inferendam!

Vobis igitur, Venerabiles Fratres, impensae curae sit, ut christifideles, mensis proximi opportunitate capta, tam frugiferum orandi officium quam diligentissime persolvant, ac eorum in

opinionem et consuetudinem latius in dies pateat. Per vos eius dignitas, vis atque praestantia christiano populo apprime innotescant.

At peculiari modo Nostris in optatis est, ut intra domestica septa eius usus passim ubique refloreat, religiose custodiatur, novisque vigeat incrementis. Frustra enim civilis consociationis sortibus collabentibus mederi contenditur, nisi domestica societas, totius humanae convictionis principium atque firmamentum, ad Evangelii normam diligenter componatur. Huic arduo persolvendo muneri, domesticam Rosarii consuetudinem peraptam asseveramus. Quam suave, acceptissimumque Deo spectaculum, cum, decedente die, iteratis in augustam Caeli Reginam laudibus, christiana personat domus! Tunc communis huiusmodi precatio parentes ac liberos, a diurnis operibus recedentes, ante Virginis effigiem mira animorum concordia inter se congregat; eos deinde pie coniungit cum absentibus, cum vita functis; omnes tandem suavissimo amoris vinculo arctius Beatissimae Mariae devincit, quae, ut amantissima mater in corona filiorum, praesens aderit, unitatis et pacis domesticae munera affluenter impertiens. Tunc christianae familiae domus, ad exemplar Nazarethanae Familiae conformatae, terrestre sanctimoniae domicilium ac veluti aedes sacra fiet, in qua Mariale Rosarium non tantum erit peculiaris orandi forma, cotidie ad Caelum in odore suavitatis ascendens, sed efficientissima quoque christianae disciplinae christianaeque virtutis exstabit schola. Enimvero mira Redemptionis mysteria ad contemplandum proposita causa erunt cur aetate proveci, ob oculos praeclara exempla Iesu et Mariae habentes, ea cotidie in vitae usum deducere assuescant, ex iisdem hauriant in arctis et asperis rebus solatia, iisdemque permoti, ad caelestium bonorum thesauros utiliter revocentur « quo fur non appropriat, nec tinea corrumpit »; (*Luc. 12, 33*); puerorum vero mentibus ita inserent praecipua christianae fidei capita, ut eorum in insonti animo erga benignissimum Redemptorem quasi sponte efflorescat caritas, dum ii, suorum prae lucente parentum exemplo, Dei maiestatem flexis genibus verentium, iam a teneris addiscent annis, quantopere preces valeant ad Dei solium communiter admotae.

Rursus igitur affirmateque profiteri non dubitamus magnam Nos in Mariali Rosario spem reponere ad nostrorum sananda temporum mala; Ecclesia enim non vi, non armis, non humanis opibus innixa, sed superno auxilio huiusmodi precibus impetrato, tamquam davidica funda instructa, id habet ut impavida infernum adoriatur hostem, cui quidem potest adolescentis pastoris proferre voces: « Tu venis ad me cum gladio et hasta et clipeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum...; et noverit universa ecclesia haec, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus » (i Reg. 17, 44, 49).

Quamobrem vehementer cupimus, ut omnes, Venerabiles Fratres, vobis quidem prae euntibus atque adhortantibus, paternis hisce monitis Nostris, cuniunctis animis ac vocibus eodemque caritatis ardore, religiose respondeant. Si mala malorumque molimina increscunt, increscat pariter ac vigescat cotidie magis bonorum omnium pietas; qui quidem ab amantissima Matre nostra hoc praesertim supplicandi modo, eidem sane carissimo, ut Ecclesiae humanaeque consortioni meliora quam primum lucescant tempora, contendere enitantur.

Impetret, precemur omnes, ab Unigena suo Dei Genitrix potentissima, tot filiorum exorata vocibus, ut qui a veritate virtuteque misere aberraverint, ad eas renovato animo se recipiant, ut odia simultatesque, quae discordiarum omneque genus miseriarum sunt fontes, feliciter componantur; ut pax, quae vera, aequa sinceraque sit, tum singulis, tum domesticis convictibus, tum populis ac gentibus auspiciato affulgeat; ut denique Ecclesiae iuribus, quemadmodum fas est, in tuto positus, benefica illa vis, quae ex ea oritur, in hominum animos, in civium ordines, in ipsiusque rei publicae venas libere permanens, populorum familiam fraterno foedere coniungat; eamque ad prosperitatem illam adducat, quae omnium officia et iura temperet, tueatur, componat, quae neminem laedat, sitque mutua necessitudine mutuaque conspiratione et opera cotidie maior.

Neque ii absint e mentibus vestris, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, dum Mariali Rosario novos supplicando nectitis flores, neque ii absint, dicimus, qui in captivitate, in carceribus, in publicae custodiae campis misere detinentur. Sunt, ut nostis, inter eos sacrorum etiam Antistites, idcirco e sua sede deturbati, quod sacrosancta Dei Ecclesiaeque iura strenuo pectore vindicarunt; filii sunt ac patres matresque familias longe a domesticis laribus abstracti ac per ignotas terras subque ignotos caelos infelicem traducentes vitam. Quemadmodum hos omnes peculiari Nos caritate adamamus, paternoque complectimur animo, ita vos, fraterno illo amore permoti, quem christiana religio alit ac refovet, una Nobiscum ad Deiparae Virginis aram comprecantes, materno eius Cordi commendate supplices. Eorum procul dubio ipsa suavissime leniet mulcebitque dolores, spe proposita aeterni praemii; atque etiam, ut vehementer confidimus, tot miseriarum quam primum maturabit finem.

Haud dubitantes, Venerabiles Fratres, vos studiosa ea, qua soletis, diligentia haec paterna hortamenta Nostra, aptiore quo duxeritis modo, cum clero populoque vestro esse communicaturos; itemque pro certo habentes quotquot ubique gentium habemus in Christo filios invitationi huic Nostrae fore ultro libenterque responsuros, gratiae voluntatis Nostrae testem ac caelestium gratiarum auspiciem, cum vobis singulis universis, tum gregi unicuique vestrum concredito iis nominatim, qui ad mentem hanc Nostram per Octobrem praesertim mensem Mariale Rosarium pie recitaverint — Apostolicam Benedictionem effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XV mensis Septembris, in festo Septem Dolorum B. Mariae Virginis, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

**Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, XIII,*

Tredicesimo anno di Pontificato, 2 marzo 1951 - 1° marzo 1952, pp. 539-543

Tipografia Poliglotta Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana